



Quot modo verba tuis muris audivimus unquam,
 Et quot nos ipsi fecimus intus ibi;
 Tot quoque nos exorantes optamus amœna,
 Affectu summo tot tibi vota damus.
 Ast tua non majora queunt nunc gaudia dici,
 Quam pia vox nobis pacis amœna dedit,
 Sed nos non solum, tellus lætatur ubique,
 Rusticus & civis gaudia summa capit.
 Pacem non noscit, quam cunctis aurea præstat,
 Qui non ad tempus bella nefanda tulit.
 Postquam conveniunt Reges summeque Potentes,
 Et jurant læti fœdera sancta sibi;
 Nuntius hic felix optato sydere missus,
 Omnes sperantes lætificavit eo
 Excepto Gallo cristas tollente superbas,
 Unguiculos cujus *Flandria* sensit adhuc.
 Urbs Bruxellarum technas sat comperit altas,
 In media bruma quæ modo capta fuit. eeee)
 Ast quamvis illi fuerit fortuna serena
 In multis dictis urbibus atque locis;
 Sacra tamen fraudes tales Germania risit,
 Solaque se servans, Anglia fecit idem.
 Fortassis veniet tempus, quo Gallia flebit,
 Atque jugum portans fata dolebit ita.
 Interea grates summas nos dicimus omnes
 Pro tanta toto pectore pace Deo.
 Optamus pariter, nobis conservet eandem
 In multos annos pro bonitate sua.
 Quod jubet & mandat, volumus parere libenter,
 Atque boni Patris iusta statuta sequi.
 Quod sit magna salus cunctis exinde parata,
 Percipiunt omnes, lætificantur item.
 Hinc abeunt multi cursores iussa ferentes,
 Quilibet ut tantum prædicet ore bonum.

Inprimis

eeee) Chronodistichum M. Marci in expugnatas a Gallis Bruxellas;
 EXPVgnant Vrbes, fortIssIMA natIo, GaLLI,
 QVas BrVsseLLa Inter Vasta notanDa VenIt.